



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos & Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

8. Quàm sit à Sanctorum exemplis alienum, injustis vindicijs ac sacramentis alijs judicium Dei petere?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45653**

*Cap. XL. Non temerè homines ad diuinum tribunal citandos. 402*

denti factus es similis : nam & ille contumelij affectus fuit, & tolerauit,  
& opprobria pertulit ; nec ultius est percussus , & non insurrexit , sed è  
contra reddidit beneficia his , qui talia perpetrauerant , nosq; iussit suos  
imitatores esse . Calum deniq; respice , & postea quate Deus suscepiturum  
promisit , si generosè feras . Christi igitur nobis præluxit exemplum ,  
cui, cum vita, per summam iniuriam, infami morte, eriperetur, ta-  
men ad alterius vitæ vadimonium neque Iudæos, neque Pilatum,  
neque carnifices, neque ullum alium euocauit, sed, *cum maledice-* 1. Petr. 2. 23.  
*retur, non maledicebat : cum pateretur, non comminabatur : tradebat*  
*autem iudicanti se iniuste . Latroni quoque paulo priùs conuiciato,*  
*non dixit : Hodie mecum eris in Iudicio, sed, Hodie mecum eris in Pa-* Luc. 23. 43.  
*radiso . Pro illis autem, qui, non contenti, eum flagris lacerasse, &*  
*clavis in crucem adegisse, insuper etiam ei illudebant, auream il-*  
*lam orationem fudit: Pater, dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt.* Luc. 23. 34.

Hanc Magistri sui heroicam patientiam ac fortitudinem VIII.  
imitatus est aliorum quoque Sanctorum ingens numerus. Atque  
primus quidem Stephanus, qui inter lapidantes, pro lapidantibus  
orans dixit: *Domine, ne statuas illis hoc peccatum . Deinde & Pau-* Act. 7. 59.  
*lus, qui de se scribit: Optabam ego ipse anathema esse à Christo, pro Rom. 9. 3.*  
*fratribus meis, qui in vitam ipsius obstinatissimè coniurauerant.*  
His è diametro aduersantur, qui, mortalis vitæ cauſa, Deum iu-  
dicem appellantes, illaudabili verborum metamorphosi exclamant:  
*Ne ignosce, Pater, sed indica, vindica ; statuas illis hoc pecca-*  
*tum. Non sim ego anathema pro fratribus meis, sed illi pro me sint ana-*  
*thema . Neque multi martyres huius appellationis ius usurpare*  
solebant, licet innocentissimè, crudelissimèq; occiderentur. Quin  
potiùs, post acceptam iniquissimæ mortis sententiam solennes  
eorum voces erant, ut exclamarent: DEO GRATIAS, quod di-  
fertè testatur Iustinus; & perspicuum est ex vita S. Cypriani, at-  
que antiquissimo Tertulliano attestante, *Christianos magis damna-*  
*tos, quam absolutos gaudere . Quia, in veteri quoque testamento,* Iustin. Apo-  
Ioseph in cisternam, Ieremias in cœni, Daniel in leonum lacum,  
tres pueri in fornacem inflammatissimam missi, cum vtiq; de vita  
eorum innocentissima eripienda ageretur, tamen non leguntur,  
vel fratres, vel tyrannos, vel carnifices, ad diuinū tribunal, cito us-  
se; & tamen iustus iudex Iosepho fratres subiecit, Ieremiam è cæ-  
no eduxit; Danielis aduersarios leonibus præbuit deuorandos;  
trium puerorum lictores, flama è fornace in illos excussa, vstulauit.

Eee

Quid

Iustin. Apo-  
log. 1. Ter-  
tullian. ad  
Scapulam.